


**05**

**A**

**1582**





*Q. D. B.*

DISPUTATIO INAUGU

*De*

PALMA  
AB ANGELICIS NON  
INTERVERTENDA,

*ex Col. 11, 18. Was dabij, assist vid*

*Quam*

*T. 125. c. m. io B. 4.*

PRÆSIDE

JO. GEORGIO NEU-  
MANNO,

SS. THEOL. D. PROF. PUBL. ET ACAD.  
BIBLIOTHECARIO,

PRO-LICENTIA

*Summos in Theologia Honores consequendi*

IN ACADEMIA VVITTENBERGENSI

*D. XV. Octobris A. clā 13c XCII.*

*defendet*

M. JOACHIMUS WEICKHMANN,  
ECCLESIAE SCHMIDEBERGENSIS PASTOR ET EPHORIAE  
KEMBERGENSIS ADJUNCTUS.

WITTENBERGAE.



05 A 1582





I. N. J.

§. I.

**D**AULUS APOSTOLUS, quo  
erat propagandæ fidei studio, peragra-  
tis Paganorum ultimis terris, Phrygiam  
quoque Pacatianam adiit, *Act. XVI, 6.*  
Ac repetitô deinceps itinere, Laodicææ  
atque Colossis, florentissimis istius regionis civitati-  
bus, fecit Evangelii doctrinam annunciari, *Act.*  
*XVIII, 23.*

§. II. Tametsi vero corpore adesse, ac præsens  
intueri pulcerrimos credentium profectus haud po-  
terat: Epaphræ tamen & Archippi fidissimorum com-  
militonum ministeriô usus, munere hoc suô præclare  
fungebatur, *Col. I, 7. c. IV, 12, 17.* Ac tanto quidem  
utriusqve Ecclesiæ amore ardebat gentium Doctor,  
ut comprehensus ac Romæ detentus vinculis, nihil o-  
mnino desisteret incepto, sed literis adesset illis & Lao-  
dicenses æqve ac Colossenses una eademqve Epistola,  
quæ hodiernum in Canone est, confirmaret, *Col. IV,*  
*15, 16.* Nam quod seorsim extat Pauli ad Laodicenses

A

Scri-

Scriptum, & sacro quondam codici alligatum fuit, sæpiusque à Sixto Senensi, Jac. Fabro, Stephano Prætorio, Corn. à Lapide, Calixto & aliis protractum in lucem; indignum tanto Apostolo monumentum est, ipsiusque antiquitatis iudiciò repudiatum: certè ex *Col. IV, 16.* nihil eidem vel auctoritatis vel præsidii accedit.

§. III. Vix autem æternam veritatem perceperant Phryges, cum illico falsi exurgerent Doctores, qui transversos agere recte credentes, inque errorem suum inducere conabantur. Christum enim Servatorem nec ante conditum mundum extitisse, nec adeò effectorem omnium rerum esse docebant; quos proinde confutat Apostolus & Christum, *πρωτότοκον πάσης κτίσεως* & conditorem esse *πάντων τῶν ἐν τοῖς ἔρανοῖς καὶ τῶν ἐπὶ τῆς γῆς, τῶν ὁρατῶν καὶ τῶν ἀορατῶν*, graviter testatur, *Col. I. v. 15, 16, 17.* Idem quoque Legis Mosaicæ adhærebant umbris, & inani Philosophiæ specie delusi ne tyrocinia quidem doctrinæ Evangelicæ posuerant. Quare ab his advocat suos rectaque ad Christum viâ perducit, quod in illum non velut in lacunam aliquot derivatæ sint doctes; sed quod perseveret in ipso atque inhabitet *πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς c. II, 9.* Quinimo cum sua quædam infulciantes dogmata, Angelorum imprimis traderent cultum & commentitiis quibusdam visionibus se efferrent, eoque æternæ salubrabæum aliis dubium redderent: ita suos adhorta-

ta-

tatur Apostolus: Μηδεις υμας καταβραβευετω, θε-  
λων εν ταπεινοφροσυνη και θρησκια των Αγγε-  
λων, α μη εωρακεν εμβατευων, ειη φυσιμενθη  
υπο τω νοος της σαρκος αυτη. Ne quis vobis  
palmam intervertat, data opera per humilita-  
tem & superstitionem Angelorum, in iis quæ non  
vidit fastuosus incedens, frustra inflatus à mente  
carnis suæ, &c.

§. IV. Ut planum ac pervium reddamus oracu-  
li sensum, *primum* omnium de Palmâ seu Brabéo,  
disquirendum, cuius mentio injicitur elegantissimo  
verbo, καταβραβευειν. Uti enim βραβευειν est mo-  
derari certamina & præmia dispensare Col. III, 15.  
unde βραβευτης idem ille qui præmia certaminis de-  
cernit & humanitatis studiosis *Designator* appellatur:  
ita καταβραβευειν nihil aliud notat, quam brabéo  
defraudare, præmium abjudicare atque eripere me-  
renti & in capiendo brabeo aliquem circumvenire.  
Missis autem, quæ ab aliis magno numero afferuntur,  
Versionibus, omnium eruditissima Erasmi videtur, vi-  
ri antiquitatis peritissimi, qui καταβραβευειν palmam  
intervertere vocat. Erat enim in Ludis Græciæ Olym-  
picis æque ac Romanorum Circensibus, præmium,  
quod victorem nobilitabat, palma: Uti vel ex illis Ly-  
ricis intelligas; *palmaque nobilis*

*Terrarum Dominos evehit ad Deos. Hor. L. I. O. I.*

*Sive quos Elea domum reducit,  
Palmae caelestes. Idem Lib. IV. Od. 2.*

ut formulas veterum solennes *palmam in medio habere positam, palmam alicui dare, tribuere, deferre, praeripere* nullo nunc studio attingamus.

§. V. Ac illa quidem, quæ intercipi Colossensibus poterat, Palma, vita æterna est, exposita certantibus, ut *βραβεῖον*, *Phil. III, 14.* ut *σέφανος ἀφθαρτος* *1. Cor. IX, 24. 25.* ut *κληρονομία τετηρημένη ἐν ἔθροισι* *1. Pet. I, 4.* Meta vero, ex quâ suspensum veluti est brabeum, ipseque Scopus, ad quem tanquam in stadio decurrendum, Jesus Christus est, extra quem consequi præmium non licet, *Act. IV. 11, 12, Johan. XIV, 6.* Certamen denique ipsum, quod subeundum, *ἀγὼν τῆς πίστεως* est, *1. Tim. VI, 12.* Si quis *τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἀγωνίσῃ*: eidem Dominus ceu Designator quidam ac arbiter *ὁ δίκαιος κριτῆς ἀποδώσει τὸν σέφανον τῆς δικαιοσύνης* *2. Timoth. IV, 8.* Atque hæc ipsa interpretatio aliorum sententiis non repugnat, qui vel fidem nostram, vel Christum ipsum per hanc palmam intelligunt. Nam sive objectis obstaculis impediaris in cursu, sive aliis insidiis positis à Scopo dimovearis, Palmam tamen interverti existimamus.

§. VI. Ecquis vero est, à quo metus intercipiendæ Palmæ oboritur? Istud vero *Ἰδοὺ* paulo  
stu-



studioſius inveſtigandum. Graphicè depingitur ille, cum α) *θέλων* vocatur, quod idem quibusdam videtur eſſe quam *εύδοκῶν* ex Matth. XXVII, 43. ſenſu non pravò; ſic enim hæreticus in humilitate ſua mirifice ſibi placere diceretur. Sed cum ea hæreſeos indoles ſit, ut quanta poſſit, contentione ſtudioque impedire curſum credentium & vertere ſcopi faciem laboret; *θέλων* nobis idem atque *ἐθελοντής* voluntarius eſt, qui propria ſecretaq; abreptus libidine hanc judicandi arbitrandique poteſtatem ſibi nullo jure arrogat; quo ſenſu Cicero alicubi *Senatorem voluntarium* & *à ſe lectum* ſcitè admodum appellat; Epiphanius autem *ἐθελόσοφον* affectatorem ſapientiae *Hæref. XIII; p. 30.* & *ἐθελοπεριοδοθηſικείαν*, religionem ſpontaneam ultroque electam vocat *Hæref. XVI, p. 34.* Hinc & Apoſtolo *h. cap. v. 23.* *ἐθελοθηſικεία* electitius ille cultus dicitur, quo quis ſuo ductu imperioque ampliorem ſibi religionem proponit, quam Deus præſcripſit: *θέλειν* enim atque *ἐθέλειν* affectatum quæſitumque ſtudium notare, vel ex *Marc. X, 43, 44,* conſtat.

§. VII. Cæterum dignoſcitur quoque Adverſarius β) ex *ταπεινοφροſύνη καὶ θρηſικεία τῶν Ἀγγέλων.* Egregia quidem virtus diviniſque ornata encomiis eſt ἡ *ταπεινοφροſύνη*: jamque ad Deum referatur, ut *1. Pet. V, 6.* jam ad Angelos *1. Cor. XI, 10.* jam ad homines *Phil. II, 3.* Hæc quidem Angelis exhibita

bita ταπεινοφροσύνη est, sed cum electitia ἐθελον-  
τῆς ac eo prætextu adscita sit, ne audacter nimis ac si-  
ne internuncio DEUS interpellari videatur; cumque ve-  
lationem animi conjunctam habeat, *h. t.* denique ita  
se gerat, ut neglecta corporis culturâ perfectionis Chri-  
stianæ quandam ambiat laudem *v. 23.* fictam ac hy-  
pocriticam prorsus hanc humilitatem atque arrogan-  
tiæ potius quam submissionis efferendam nomine  
esse apparet. Perinde quoque de θρησκεία τῶν Ἀγ-  
γέλων habendum est, quæ vox mediæ significationis  
est & modo in bonam partem usurpatur, ut *Jac. I,*  
*26, 27.* modo in malam ut *Sap. XIV, 18.* Ac in præ-  
senti quidem non tam *activè* accipitur pro cultu ab  
Angelis institutò, quam *objectivè*, pro honore An-  
gelis præstitò quia Genitivus cum nomine θρησκεία  
junctus objectum cultus indigitat; nec aliud svadet,  
quæ antecedit, ταπεινοσοφροσύνη. Quamquam infer-  
ri potius ac supponi prior significatio quam excludi de-  
beat, quia etiam commentitias jactitare visiones Secta-  
rius perhibetur, *h. t.*

§. VIII. Itaque γ) quanta hominis fuerit le-  
vitas, quamque novandis rebus studuerit, intelligitur,  
quando in iis, quæ non vidit, fastuosus incescit: ἄ μὴ  
ἐώρακεν, ἐμβατεύων. Verbum hoc sumptum esse  
à Tragicis cothurnis videtur, qui propterea ἐμβαάδες  
dicuntur. Hinc ἐμβατεύειν nihil aliud est Græcis,  
quam pedem ponere vel inferre in limites ignotos &  
alie-

alienos. Quod si vero temerarium est viam ingredi tenebricosam nec cognitam ante vel exploratam; multo est magis temerarium, rebus supra sensum positis immiscere se ac potestatem sibi facere quicquam de rebus incognitis decernendi. Ad animum translata vox peruestigare ac scrutari notat; quem sensum non est, cur declinemus. Erant enim eâ ætate, qui arcana cælestia perquirebant, Angelis, nec visis nec auditis quæ vellent, nomina indebant, distribuebant in classes, ipsique Angelorum capiti Christo præferabant, uti vel ex *Col. I. 16, 17.* colligitur.

§. IX. Haud immerito proinde δ) εἰνῆ Φυσίμεν & frustra inflatus esse dicitur, qui vanam hujusmodi scientiam jactitat seq; præ aliis insolentius effert. Non evadit aliud membrum alio altiùs, nisi quando tumore inflatur; atq; hoc est Φυσίσαυ, adhibitum Apostolo de superbis *I. Cor. IV, 6.* Idem verbum & infantum est, quorum capita tument; unde translatum ad scientiam quæ inflat *I. Cor. VIII, 1.* Idem deniq; equorum fatigatorum; hinc de sermone inflatorum usurpatur, in quo virtus deficit *I. Cor. IV, 19.* Perinde se res habet cum illis qui in humilitate Angelorum incedunt; supra humanum intumescunt modum; scientia illos velut *utrem inflat*, ut est in Satyra, imo velut equi *spirant naribus ignem*, ut Maro canit. Fundamentum vero vanissimi hujus fastus habent ὑποτῆ νοῦς τῆς σαρκὸς αὐτῆ ἀ̄ sensu carnis  
sua,

*sua*, ut pergit Apostolus. Cogitatio seu sensus carnis nihil aliud quam prudentia carnalis est, quæ revelationi divinæ opponitur *Matth. XVI, 17. Gal. I, 16.* & ingenio suo fidens dogmata confingit Christo capiti Ecclesiæ reluctanti, unde fit, ut à Christò se quis ipsum avellat ac separet, nec ceu membrum per juncturas & connexûs cohæreat, sed veluti palmes extra vitem exarescat *Joh. XV, 6.* nec augmento DEI in majus proficiat *Col. II, 19. Eph. IV, 16.*

§. X. Quod si ævi Apostolici perversos, qui erant, Doctores intueamur; plurimos quidem ejus ætatis Hæreticos Apostolus impugnat: sed à quibus suos hoc monito absterreat, haud alium quam Simonem Magum, aut certe discipulos ejus & sectatores fuisse existimo. Cum enim hæc scriberet Paulus, jam tum à veritate defecerat Simon & foedisimis erroribus polluere Ecclesiam cœperat. Nec ulla hoc tempore Secta viguit, cui ea, quæ hęc oraculo continentur, convenient magis exactiusq; respondeant. Non enim ab aliis impulsus, sed *θέλων*, suoq; ipsius arbitrato hæc opinionum portenta peperit impostor, contenditq; *εἶναι τινα ἑαυτὸν μέγαν Act. VIII, 9.* Et tamen si lacris Christianorum initiatus Philippo aliquando se approbaret *v. 13.* *θέλων* tamen & sponte suâ ad pravum ingenium rediit & in quendam velut *σύνδεσμον τῆς ἀδικίας* concessit *v. 23.* Hinc etiam est, quod Hæreticorum auctor habetur, ex quo univer-

ver-

versæ postmodum Hæreses provenerunt Irenæo teste  
*c. XX. p. 42.* Et si Epiphanium consulas, primæ om-  
nium, quæ à Christi tempore ad hanc ætatem prodie-  
runt, Hæreseos princeps Simon ille Magus extitit *Hæ-  
res. XXI, p. 55.* Unde Ignatio primogenitus antiqui  
serpentis filio appellatur, *Ep. ad Trall. p. 15. Ed. Genev.*

§. XI. Idem proinde Magus, ut cætera, quæ ex-  
cluserit dogmata, nunc prætermittam, superstitiosum  
Angelorum cultum invexit. Quod quidem Baronius,  
ne Angelolatria ab Hæreticis profecta videatur, negat  
ac mirari se dicit, ejusmodi errorem tribui Simoni Ma-  
go *T. I. Annal. ad An. VI. n. 17.* Verùm Petavius ipse  
*Not. ad Epiph. p. 40.* & hunc secutus Natalis Alexan-  
der *Sec. I. c. 10. p. 52.* deserunt Baronium suum, admif-  
sumque errorem animadvertunt & improbant, quan-  
do vel ex uno Tertulliano aliud constare poterat, qui, *Si-  
moniana*, inquit, *Magia disciplina angelis serviens*  
*utiq; & ipsa inter Idololatrias deputabatur Præscr.*  
*adv. Hæ. c. XX XIII. p. 81.* Ac imprimis quidem  
docebat ille DEUM majoris esse dignitatis ac fastigiū,  
quam ut de rebus nostris adiri debeat, submissi contra  
animi signum esse, abjicere se ac prosternere coram  
Angelis, atque per hos ad præpotentem DEUM quæ-  
rere aditum. Eaq; est ταπεινοφροσύνη τῶν Ἀγγέ-  
λων, Apostolo reprobata, quam Simoni his verbis tri-  
buit Epiphanius: *negat insuper salutem consequi*  
*ullum hominem aliter posse, quam si ejusmodi my-*  
B ste-

stera didicerit, & DEO universitatis parenti  
per illos, quos diximus Principatus ac Potestates  
sacrificia obtulerit *Hær. XXI, p. 58.* Atque hæc  
inter Philosophos Platoniorum fuit potissimum opi-  
nio, qui Angelos omnium animantium conditores  
dixere & in aere medios inter æthereum cœlum ter-  
ramque constituere. *Indignum enim putarunt,  
misceri homines diis, & Deos hominibus: dignum  
autem misceri demones & diis & hominibus, hinc  
petita qui allegent; inde concessa qui apportent.*  
*V. August. L. VIII. de Civ. c. XVIII.* Tum verò &  
*Ἐρησείαν τῶν ἀγγέλων* tradebat Simon cum gre-  
galibus suis: cum enim mundum ab Angelos condi-  
tum dicerent Simoniani, ut est ap. Irenæum *l. c. p. 43.*  
natura insitum habebant, ut quisque suum mundi-  
que creatorem coleret & veneraretur, ut censet Ca-  
lixus *Proœm. ad Coloss. p. 4.* Quod si Nazianzenum  
evolvas, octo Æonas à Simonianis cultos observabis,  
eamque ob causam octonarium numerum ab iis ma-  
gno in pretio habitum fuisse, *Or. XLIV. pag. 719.*  
Quales autem illi Æones fuerint, exponunt Nicetas  
in Scholiis ad *h. l. p. 720.* & Elias Cretensis *ad Or. VI.  
p. 178.* Nobis satis est hinc confici, diffusam per has  
gentes Geniorum superstitionem invasisse multorum  
animos, eoque sollicitam Apostoli reprehensionem in-  
currisse.

§. XII. Neque his tantum partibus constabat  
An-

Angelolatria Simonis: sed angelicas insuper revelatio-  
nes & oblatas cælestium species jactabat, ἃ μὴ εἴργει  
κεν ἐμβρατέων, ut Noster ait. Quod tametsi par-  
cius attingunt Hæresium Collectores: video tamen  
*Fanaticos* ab Epiphanio appellari Simonianos *Hær.*  
*XXI. pag. 58.* De Cerintho autem Simonis æmulô,  
Gajus in Disput. adversus Proclum inquit: *per reve-*  
*lationes quasdam à se tanquam à magnò quo-*  
*dam Apostolo conscriptas, portenta quedam qua-*  
*si ab Angelis sibi ostensa commentus nobis intro-*  
*ducit, affirmans post resurrectionem regnum Chri-*  
*sti in terris futurum, ac rursus homines Hieroso-*  
*lymis degentes cupiditatibus & voluptati corporis*  
*obnoxios fore,* ap. Euseb. *LIII. H. E. p. 100.* Jam Ce-  
rinthum idem docuisse, quod Carpocrates Epiphani-  
us Auctor est *Hær. XXVIII, p. 110.* Carpocratem ve-  
ro ipsius Simonis innutritum doctrinis tradit idem  
*Hær. XXVII, p. 102.* Nec dubium, quin fictis hisce si-  
mulacris turgidi, inculpatae vitæ & antiquæ religionis  
exemplum se esse voluerint: id quòd Eusebus testa-  
tur, qui, *Simonem*, ait, *verè primum omnis hære-*  
*seos auctorem fuisse accepimus, ex quo in hunc us-*  
*que diem, qui hæresin ejus profitentur, castam &*  
*per vitæ puritatem apud omnes celebrem Chri-*  
*stianorum Philosophiam simulantes, simulacro-*  
*rum superstitionem, à qua liberati videbantur,*  
*nihilominus denuo usurpant.* *Lib. II. H. E. c. XIII,*

p. 57. At iidem tamen spurcissimos conventus ac consuetudines cum mulieribus initas habebant, de quibus *V. Epiphan. Hær. XXI. p. 58.*

§. XIII. Qui vero εἰκὴ φυσίζμενⓄ ob elationem animi audit, idem ille τετυφωμένⓄ, inflatus, ἔχων μόρφωσιν εὐσεβείας τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρημένⓄ vocatur, *2. Tim. III, 4, 5.* Namque eundem Hæresiarcham hîc designari cum Esthio statuit *B. Calovius Bibl. Illustr. p. 1025.* Nec aliud nos de Simone docet antiquitas. Quantum enim se esse voluerit, subticere non potuit Lucas *Act. VIII, 9.* In Samariâ se ut Patrem descendisse, in Judæa ut Filium, & reliquis gentibus ut Spiritum S. apparuisse impudentissimus impostor gloriatus est, Irenæo teste *adv. Hær. c. XX. p. 42.* Augustino quoque Auctore, in monte Sina legem Moïsi in Patris personâ dedisse Judæis, tempore Tiberii in Filii persona apparuisse, postea in lingvis igneis ut Spiritum S. Apostolis affulsisse, venditavit, *De Hæres. c. I. p. 8.* Taceo audacissimas voces: *ego sum sermo DEI ego speciosus, ego Paracletus ego omnipotens ego omnia DEI,* quas referente Hieronymo, profundere non erubuit. *T. IX. ed. Bas. p. 35.*

§. XIV. Denique quantum rationi suæ indulserit, quam ὄν τῆς σαρκὸς appellat Divus, vel inde constat, quod carnis resurrectionem negasse Simonem perhibent Augustinus *l. c.* Anastasius Bibliotheca-

ca-



carius *H. E. p. 16.* aliiqve. Nesciebat enim Simon, ut  
Dionysius *de Div. Nom. c. VI. p. 80.* differit, eum;  
qui sanæ mentis sit, sensus ratione contra abstrusam  
omnium causam uti non oportere. Unde colligas,  
propterea resurrectionem carnis negatam fuisse Ma-  
go, quod eam contra naturam esse putaret. Hinc &  
*γνώσιν τὴν τελειοτάτην* sibi tribuebat, ut legitur apud  
Epiphanium, omniumq; cœlitum nomina velut ex-  
plorata jactabat; ut existimare possis, hunc ipsum de-  
signari ab Apostolo, cum Timotheum hortatur, ut  
*τὰς βεβήλας κενοφωνίας καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευ-  
δονόμου γνώσεως* devitet. *1. Tim. VI. v. 20.*

§. XV. Neqve vero cum Simone exspiravit  
hoc malum, aut Apostoli solitudine & cura extin-  
ctum est: sed opinione latius serpsit & Menandrianis,  
Basilidianis, Saturninianis, Carpocratianis, Cerinthia-  
nis pluribusq; aliis auctoribus in immensum excrevit.  
Maxime autem Phrygiam pervasit, quæ *Hæresibus*  
*apprimè referta* fuit, ut Epiphanius testatur *Hæc.*  
*XLVII, p. 399.* Unde & ipsa Laodicensis Ecclesia in an-  
cipiti & lubrico stare visa *Apoc. III, 24. seq.* Longum  
foret de Phrygibus, Cataphrygibus, Pepuzianis, Mon-  
tanistis aliisque dicere, qui in classe hæreticorum san-  
ctulorum & Hagiodæmone obsessorum ponuntur à  
Danhauero *Christeid. p. 531.* & illi ipsi sunt, quibus de-  
fensoribus hæc Angelolatria propagata fuit. *Man-  
sit per diu hoc vitium in Phrygia & Pisidiâ,* Theo-

doretus inquit; de Angelolatris loquens; proinde Synodus quæ convenit apud Laodiceam Phrygia lege prohibuit, ne precarentur Angelos. Et in hodiernum usque diem oratoria S. Michaëlis apud illos illorumque finitimos videre est. Illi ergo, humilitate ducti hoc fieri suadebant dicentes: universorum Deum nec cerni, nec attingi nec comprehendi posse & oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare. Hoc est, quod dicit in humilitate & cultu Angelorum T. III. Op. ad Col. II. pag. 355.

§. XVI. Cedrô profecto dignus hic Theodoretus locus est; ac primum de eò nos instruit, quibus auctoribus hic error in Phrygia, ubi exortus est, invaluerit magis suaque sumserit incrementa. Dicit autem eosdem, quos stringit Apostolus, Angelolatrias mansisse in Phrygia, & superstitioni adhæsisse in illam usque, quæ degebat, ætatem. Cum vero in varias Sectas abierit hæc superstitio aliudque nomen ab aliis Ducibus acceperit, jam tertio seculo ANGELICORUM appellatione insigniri cœpit. De quibus ita Epiphanius refert: *Audita est nobis Angelicorum Hæresis, neque cuiusmodi illa demum Hæresis sit, compertum habuimus. Quod eo fortasse contigit, quod cum aliquando prodiisset, desuit postea, ac tandem penitus extincta est. Illud vero nomen quam ob causam obtinuerit, ignoramus. Nam*  
cum

cum Heretici quidam conditum ab Angelis mundum esse dixerint, utrumnam hac secta, quod idem asseveraret, eodem sit affecta nomine, certo affirmare non possum. An potius, quod in Angelicum sese ordinem arroganter referrent, atque excellentem quandam vitæ rationem instituerent; ne hoc quidem pro comperto assero. An postremo ab loco quodam eam appellationem sortiti sint; quoniam quidem regio quaedam est ultra Mesopotamiam quæ Angelina dicitur. Hæres. LX. p. 505. Ita fluctuat doctissimus Scriptor, versat se in omnes partes, nec quicquam de his certi definit. Tres potissimum opiniones allegat, sed nullam ornat. Ac ultima quidem suâ sponte ruit, cum ignorent locum Geographi, qui Ἀγγελίην vocetur. Altera vero, quæ ob simulationem Angelicæ vitæ dictos Angelicos vult, rem quidem tangit propius, sed non absolvit. Prima ergo vero est similior, quæ à cultu Angelico hos ita dictos affirmat. Hanc enim suam facit Augustinus, qui Angelicos sic appellatos existimat, quod in Angelicorū, cultum inclinârunt C. xxxix. p. m. ii. Quare si mihi quâ teneo, pronuncianda sententia sit, commune hoc nomen fuisse autumo, quo ante Epiphaniî tempora insigniebantur omnes, qui Σησικείαν τῶν Ἀγγέλων fovebant, sive Simoniani sive Carpocratiani, sive Cerinthiani aut quicumque fuerint. Perinde ut se res habet cū Gnosticis, quod nomen fami-  
lia-

liare plurimi habuerunt ævi primi atq; secundi Hæretici, quos cum refert Epiphanius, *hi se omnes Gnosticos communi appellatione dici voluerunt*, inquit *Hæret. xxxi. p. 163.* Zonaras quidem atqve Balsamon doctissimi Canonum interpretes Angelicos alios fuisse existimant ab iis, qui supersticiosâ quâdam pietate ducti sese putarint indignos, qui Christum invocarent, sed Angelos implorandos: At recensendo dogmata faciunt ut iidem prorsus appareant esse, ad *Concil. Laod. c. XXXV. p. 468.* Ubi Beveregius retissime iudicat: *Hæc eadem videtur Hæresis, quæ prima in Ecclesiam Christianam à Simone Mago introducta est. Unde & eadem imbuti Simoniani ab Epiphanio dicti sunt. Annotat. in Conc. Laod. p. 196.*

§. XVII. Neutiquam ergo desiit postea aut penitus extincta est Hæresis, quod Epiphanius tradit, sed mansit hoc vitium in Phrygiâ & Pisidia Synodoque occasionem dedit Laodicensæ, ut porro Theodoretus doctissimâ illa in h. l. commentatione testatur. Coacta igitur hæc Synodus est, ut constans Canonum Inscriptio docet, Laodicensæ in Phrygia Pacatiana, A. C. CCC LXV. Ubi plurimi Patres ex diversis Asiæ provinciis congregati, factâ de rebus saluberrimis deliberatione contra Angelolatras Can. XXXV. sic decreverunt: *ὁ θεὸς χριστιανὸς ἐγκαταλείπει τὴν ἐκκλησίαν, τῶ θεῷ καὶ ἀπιέναι, καὶ ἀγγέλους ὀνομάζειν ἢ συνάξεις ποιεῖν,*

ποιεῖν, ἀπερ ἀπηγόρευται, εἰ τις ἐν εὐρεθῆ ταύτη  
τῆ κεκρυμμένῃ εἰδωλολατρεία σχολάζων, ἔσω  
ἀνάθεμα, ὅτι ἐγκατέλιπε τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν  
Χριστὸν, καὶ εἰδωλολατρεία προσῆλθεν. Non  
oportet Christianos, relicta DEI Ecclesia abire  
ἔς Angelos nominare, vel congregationes facere,  
quæ sunt prohibita. Si quis ergo inventus fue-  
rit, huic occulta Idololatriæ vacare, sit anathema,  
quia reliquit Dominum nostrum Jesum Chri-  
stum, filium DEI ἔς accessit ad Idololatriam:  
ex Pand. Can. Beveregii p. 468. Caranza Angu-  
los legit, ut inserviat Scenæ suæ. Summa Con. p. 136. quem  
errorem, miror, quoq; admissum esse à Ruelio Hist.  
Concil. T. III. p. 287.

§. XVIII. Præclara certè hujus Canonis mo-  
menta sunt, planeq;ve ex sententiâ Apostoli asserta;  
quorum alterum ad συναῖξεις & congregationes pri-  
vatas, alterum, ad Angelorum cultum Idololatricum  
spectat. Conventus Simonianorum obscænos ex  
Epiphanio non repeto; nec turpissima Gnosticorum  
conventicula allego, de quibus idem Epiph. Hær.  
XXVI, p. 84. Videntur enim nitidiori paulo facie  
prospicere, quas Canon hic rejicit, συναῖξεις. Iis  
quippe opponitur, qui relicta Ecclesia abeunt ἔς  
congregationes, quæ sunt prohibita, faciunt ἔς oc-  
cultæ Idololatriæ vacant. Παρασυναῖξεις uno ver-  
bo appellat Balsamon in Scholiis. Quid vero παρα-

C

συ-

συνάξεις prohibitaque congregationes illæ fuerint,  
ex solidâ antiquitate habeo exploratum. Illi enim  
qui faciebant παρασυνάξεις, α) erant stylo Aposto-  
li nostri Φυσιωθέντες tumore quodam ac fastu in-  
flati, ac de cultu separatim instituendo solliciti: quo  
nomine notabantur in Synodo Carthagenensi: *Nec  
illud prætermittendum est, ut si quis fortè Presby-  
ter à proprio Episcopo condemnatus tumore quo-  
dam (Φυσιότητι) ἔσ arrogantia elatus existima-  
verit debere separatim DEO sancta offerre, vel  
aliud altare erigendum putaverit adversus Ec-  
clesiasticam fidem ἔσ constitutionem: is ne impu-  
nis evadat. Can. X. ap. Bever. p. 523. Quod de  
iis dictum Balsamon in Scholiis existimat, qui ex ar-  
rogantia adversus suum Episcopum Φυσιωθέντες  
καὶ ἀποσχισθέντες inflati sunt ἔσ ab eo abscissi. ibid.  
Iidem quoq; β) Episcopos suos ut impios ac injustos  
præter meritum reprehendebant, & velut officii im-  
memores laceſcebant maledictis. Ac proinde pro  
ambitiosis & Tyrannis habentur in Canone Apost.  
xxxι, cujus sensum sic retulit Aristenus: *Si quis pro-  
prium Episcopum sine causa condemnet, ut neque  
contra pietatem, nec contra justitiam peccantem, ἔσ  
conventum populi privatim faciat, ἔσ aliud  
altare figat, deponatur, ἔσ ipse ut ambitiosus, ἔσ  
Clerici, qui eum sequuntur. Pand. Can. pag. 21.*  
Imprimis autem γ) contemnebant, cui addicti fue-  
rant,*

rant, Ecclesiam, factoque concursu privatos cultus suos reliquis præferebant. Atque hoc κατ' ἰδίαν ἐκκλησιάζειν itemque ἰδίᾳ & ἰδιαιτάτως ἐκκλησιάζειν quoniam & ἱερουργεῖν ἐν εὐκτηρίῳ οἴκῳ privatim concionari in oratoria domo sacra celebrare Scriptores Ecclesiastici vocant. Tantopere autem Ecclesiam cætumque publicum averfabantur, ut qui ab illâ discesserant, *Synagogam*, conventus suos, non *Ecclesiam* dici vellent, uti refert Epiphanius. *Hæres. xxx. p. 142.* Ita Eustathius quoque Sebastenorum Episcopus, qui suos ad antiquam ἀσκησιν reduxit, & asceticæ atque arctioris vitæ apud Armenios Auctor extitit, *Sozom. Lib. III. c. XIV, p. 520.* adeo despexit Ecclesiam, ut Synodo Gangrenâ errores ejus ideo refelli debuerint. Nam cū hæc disciplina Eustathianorū esset, ut procul ab Ecclesiis secederent, & publicos cœtus, quasi precationibus indulgendum ubique sit, negligerent: tali fulmine petuntur Canone V. *Si quis docet, domum DEI esse contemnendam, & quæ sunt in eâ congregationes, Anathema sit.* Nam omnibus quidem in locis magnus Paulus precari jubet: sed non ita tamen ut congregationes contemnamus nec sacris interesse dignemur, ut Zonaras in Scholiis commentatur p. 419. Rursum cum sacra occultâ & latenti quadam ratione obirent; Canone VI. in h. modum arguuntur: *si quis extra Ecclesiam privatim conciones habet, & contemnens Ecclesiam,*

fiam, vult ea quæ sunt Ecclesia agere non conveni-  
ente Presbytero, de Episcopi sententia sit anathema.  
Eustathiani enim contemnentem Ecclesiam h. e. fide-  
lium cœtum, privatim coibant, conventusque aut  
conventula potius peragebant, & quæ in Ec-  
clesia fieri debuerant, sacra mysteria nullo dele-  
cto sacerdote celebrabant, ut prolixè ibidem Zona-  
ras exponit. Hinc Canone XXI. ita concludunt Pa-  
tres: *Domos DEI honoramus, & qui sunt in iis*  
*conventus, ut sanctos & utiles amplectimur, NON*  
*PIETATEM IN DOMIBUS INCLUDENTES,*  
*sed omnem locum in DEI nomine edificatum ho-*  
*norantes, quæ fit in Ecclesia, congressionem, ad pu-*  
*blicam utilitatem recipimus. Vid. Canones Beve-*  
*reg. T. I. 419. seq.*

§. XIX. Altera vero Canonis Laodicensis pars  
Angelolatrias disertius coarguit; quibus proinde inter-  
dicitur *ne Angelos nominent, nec occulta Idolola-*  
*tria vacent, aut relinquant Dominum nostrum*  
*J. Christum Filium DEI & accedant ad Idolo-*  
*latrariam.* Simonianam hinc Hæresin damnari, re-  
ctè docet Beveregius, fretus Scholiasticis Canonum an-  
tiquis, quos adducit ad faciendam fidem. Nec dif-  
fitetur cum Bellarmino Petavius *l. c.* Sed dissidet ab  
his Baronius Annalium Conditor, qui in tanta rei evi-  
dentiâ fluctuans, ad *Ann. LX. n. 20. p. 779.* bilem  
suam vertit in Theodoretum, *ex his inquit, videas*  
*Theo-*



Theodoretum haud feliciter, quod ejus p̄ce dictum  
sit, affectum esse verborum Pauli sensum. Quin  
& adversus Bellarminum ipsum pertendit, Oratoria  
illa seu sacella Michaelis non ab Hæreticis sed ab ortho-  
doxis exstructa fuisse. Verum frustra speravit Baro-  
nius, nos in rebus ab ipso Theodoreto conspectis po-  
tius sibi credituros, quam Theodoreto *αὐτόπτη*. Vi-  
derat Theodoretus, Cyri in Syria Episcopus, in Phry-  
gia & Pisidiâ, in cujus confinio habitabat, Oratoria  
S. Michaelis, quæ utrum ab Hæreticis an Orthodoxis  
frequentarentur, ignorare non potuit. Sed abunde  
nobis est, quod Theodoretus Vir Patrum Græcorum  
longe doctissimus, preces ad Angelos & oratoria Mi-  
chaelis tribuit Hæreticis, & damnata esse ait à Synodo  
Laodicenâ. Cujus Patris auctoritas apud nos pluris  
est, quam hominum ad Papæ nutum factorum & qui  
Scripturæ juxta & veterum auctoritatem proculcant,  
quoties iis adversantur. Deinde verò obvertit Ba-  
ronius, loqui hunc Canonem de gentilium cultû,  
qui spretâ Christianâ religione, genii sui sacra cele-  
brarint. At Synodi haud facile alloqvuntur Ethni-  
cos, nec condunt Canones in gratiam Paganorum:  
Et hic ipse Canon hos Angelorum cultores vocat Chri-  
stianos. An Synodus juberet Ethnicos abstinere cul-  
tu Angelorum, cum non essent Synodo subjecti? Tan-  
dem probare conatur Pontificius, Angelorum cultum  
ex *Can. præc. XXXIV. Laod.* Si enim hæc Syno-

us cultum veri Martyris recipit, ut ille ex hoc Canone elicit, multo magis Angelorum cultum videtur recepisse. Nam ut sublimiori naturæ, cultus potius Angelis quam hominibus debetur. Sed fallitur in assumptō Cardinalis. Non enim cultus religiosus S. Martyrum hoc Canone introducitur, sed memorativus. Non Martyres sed Christum adorabant veteres, quamquam illos ut strenuos Christi Sectatores atque Athletas, quo par erat honore prosequerentur. *Nos Martyribus nostris, Augustinus inquit; non templa sicut hominibus mortuis, quorum apud DEUM vivunt Spiritus fabricamus. Nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus: sed uni DEO & martyrum esse nostrum sacrificium immolamus. Lib. XXII. c. X. de Civit DEI.*

§. XX. Cum itaque Simonianis implicatam erroribus Ecclesiam suam intelligeret Petavius atque hoc Apostoli oraculo impugnatam: idem, ait, *damnare Apostolum, quod C. I. Rom. v. 25. in gentilibus Philosophis arguit: quod serviant creaturæ potius quam creatori. Tum vero distinguit: nos neque Deos esse Angelos dicimus, neque mediatores unicōs aut primarios. Mediatores Angeli non nisi per Christum sunt: sunt tamen pro modulo suo ut & sancti omnes. T. III. Dogm. p. 154.* Sed adeo sibi non constat Vir Doctus, ut, quam de Simonianis exposuerat & contra Baronium defenderat mentē Apostoli,

stoli, *Not. ad Epiph. p. 40.* nunc ad gentiles Philosophos detorqueat. Non agnoscit Apostolus Mediatorem nisi unicum ead. Epistolâ: *Quicquid egeritis sermone aut facto, omnia in nomine Domini Jesu facite c. III, 17. t. 1. Tim. II, 5.* Angeli verò aut sancti ne pro modulo quidem suo mediatores nostri sunt? *Beati Archangeli tui Michaelis intercessione suffulti supplices te Domine precamur,* canit Romana Ecclesia in Missali Romano *Clem. VIII. auctoritate ed. p. 457.* Sane qui hac intercessione suffultus DEUM orat, Angelos non pro modulo, sed modis omnibus Mediatores constituit.

§. XXI. Non autem Angelorum tantum cultum ex mente Apostoli prohibet Canon, sed revelationes quoque & secreta illorum commercia *occultæ Idololatriæ* nomine detestatur. Contra Montanistas & Cataphrygas celebratam hanc Synodum esse, ex canone VIII. constat, nec dissentiunt Interpretes. Jam vero Montanum cū affectis plurimum sibi auctoritatis visionum & prophetiarum jactantia conciliasse, quis nescit? Vide Euseb. *L. V. c. III. p. 167. & c. XVI. p. 179. conf. Cl. Ittigium in eruditiss. Diss. de Hæres. p. 239.* Duas enim Mulierculas Maximillam & Priscillam habuit comites *Et adulterino spiritu repletas, adeo ut ipsæ quoque perinde ac supra memoratus ille insana quædam Et importuna atque aliena loquerentur. Et eos quidem, qui ea re delectabantur atque*  
17-

intumescebant, spiritus ille beatos predicabat & promissorum magnitudine supra modum inflabat Euseb. l. c. Neq; indoctam tantum plebem istud hominum genus fascinabat, sed ipsum Tertullianum doctissimum Virum pertrahebat in partes, qui ex revelatione Prophetissæ animam corpoream & effigiatam esse didicit: Est hodie inquit, soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter Dominica Solennia per ecstasin in Spiritu potitur, conversatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt & audit sacramenta & quorundam corda dignoscit & medicinam desiderantibus submitit. Jam vero prout Scripturae leguntur aut Psalmi cantantur aut allocutiones proferuntur aut petitiones delegantur, ita inde materia visionibus subministrantur. Forte nescio quid de animâ differueramus, cum ea Soror in Spiritu esset. Post transacta solennia dimissa plebe quo usu solet nobis renunciare quæ viderit. Nam & diligentissime digeruntur, ut etiam probentur. Inter cetera, inquit, ostensa est mihi anima corporaliter & Spiritus videbatur, sed inanis & vacua qualitatis. c. III. de Anima p. 530. Istam vero colluviem usque ad tempora Epiphaniï Phrygiam, Cappadociam atque Galatiam occupasse clarissimis verbis Epiphanius exprimit: Idem illi desertum quendam in Phrygia locum precipue vene-

ne-

nerantur. Est enim hominum illa factio per Cap-  
padociam, Galatiam Phrygiamque, quam ante  
commemoravimus, dispersa, unde & secundum  
Phrygas secta dicitur Hæres. XLVIII. p. 416. conf.  
Baron. ad Ann. 137. n. 40. p. 234. Quin proinde  
hâc Synodo, quæ in Phrygia celebrata est, eadem Hæ-  
resis condemnata fuerit, minime omnium dubitamus.

§. XXII. Nemo longius evagatum me putet,  
quam rei dignitas exigit. Non enim satis investigari  
doctrina potest, nisi, ad quos impugnandos adducta sit,  
intelligatur. Ipsaque veritas pulcrius emicare videtur,  
cùm, quibus circumfusa tenebris, quibusque machinis  
impetita per omnem ætatem fuerit, quamque invicta  
semper ac salva evaserit, animis nostris recolitur. Re-  
liquum nunc est, ut Illò. Dissuasionis fundamentum ex  
Apostoli effatò eruamus, quo Laodicenam simul & Co-  
lossensem Ecclesiam à Simonianis istis atque Angelicis  
avocat ac dehortatur. Nam improbat illorum cul-  
tum quia (α) electitius est, (θέλων seu ἐθέλοντης) at-  
que uno verbo, ἐθελοθρησκεία, cum vero nihil aliud  
ἐθελοθρησκεία sit quam modus colendi Deum sine  
præcepto divino, proprio arbitrio susceptus: Angelos  
nec ut conditores mundi, nec ut intercessores inter  
Deum & homines, nec denique ut nuncios aut re-  
velatores nostros observare ac colere par est. Mun-  
dum qui condidit Deus est; *Ego sum Jehova faciens  
omnia, extendens cælos solus; Ergo sine socio; expan-*  
D *dens*

*dens terram per meipsum* Ergo sine omni instru-  
mento *Es. XLIV, 24.* Qui pro nobis intercedit apud  
Deum Christus Mediator est, non nisi unicus ille *1. Tim. II, 5.* Nec quicquam revelationis ab Angelis  
expectandum deinceps est, quia *non Angelis subiecit orbem terra futurum Heb. II, 5.* Quod de Ecclesia N. T.  
interpretatur Hunnius *Comm. p. 877. conf. Gal. I, 8.*

§. XXIII. Tum verò ideo maximè rejicit hanc su-  
perstitionem Apostolus, quod (6) jaçtitat velut explo-  
rata, quæ tamen nunquam vidit, *ἀ μὴ ἐώρακεν ἐμβα-  
τέυων.* Est enim illud fanaticorum hominum osten-  
tum, ut extra se ferantur & quodam velut somno abre-  
pti, spiritibus corporibus evolent atque excurrant foras,  
animum à consuetudine oculorum abducant, exalbes-  
cant objectis imaginibus, & omnibus artibus contrem-  
miscant, penetrentque ac inquirant in Numinis spe-  
ciem, sed falsas ac mendaces inde visiones nobis refe-  
rant; quod est Apostoli stilo *ἐμβατέυειν ἀ μὴδεὶς ἐώρα-  
κε.* Atque hos ipsos alio verbo Judas Apostolus de-  
signat, cum *ἐνυπνιαζόμενους* somniis delusos vocat,  
*qui carnem quidem polluunt, dominos vero sper-  
nunt, potestates blasphemant. v. 8.* Cum enim à  
primis statim temporibus in Ecclesia DEI hujusmodi  
*ἐνυπνιασὰς* excitaverit Diabolus: severissima adhorta-  
sione DEUS ab his populum suum abstrahi voluit: *Si  
surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somnium  
vidisse se dicat (ἐνυπνιαζόμενος τὸ ἐνύπνιον, LXX.)*

6

Et prædixerit signum aut portentum, -- non audies  
verba Prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat  
vos Dominus Deus vester &c. Deut. XIII, 1, 2, 3.  
Similiter & tempore Jeremiæ Deus graviter objurgat  
hos somniatores: *Audi vi quæ dixerunt Prophetæ,  
prophetantes in nomine meo mendacium, atque di-  
centes: somniasvi, somniasvi, (ἠνυπνίασάμην ἐνύ-  
πνιον) usque quo istud erit in corde Prophetarum,  
vaticinantium mendacium & prophetantium se-  
ductiones cordis sui (θελήματα τῆς καρδίας αὐτῶν)  
qui volunt facere, ut obliviscatur populus meus no-  
minis mei, propter somnia eorum, quæ narrat u-  
nusquisque ad proximum suum. Jerem. XXIII,  
25, 26, 27, 32. Vos ergo nolite audire Prophetas  
vestros & divinos & somniatores & augures &  
maleficos c. XXVII, 9. Imo ipsa, quæ Christus  
in his terris degebat, ætate, non deerant illi, hinc cavete  
vobis, inquit, à Pseudo-prophetis, qui veniunt ad  
vos in vestitu ovium, sed intrinsecus sunt lupi ra-  
paces Matt. VII, 15. i.e. latrones Joh. X, 1.*

§. XXIV. Nec illud leve est falsi cultus indicium  
quod (γ) frustraneus ac vanus Apostolo vocatur; ver-  
bo: εἰρη. Adeo divinus in sermonibus suis est D. Pau-  
lus, ut, quibus Hæreticum describit verbis, iisdem quo-  
que ab exitiis eius doctrinis dissuadeat. Verissi-  
mumque illud Epiphaniæ de eo iudicium: *Qui non  
studiosè, sed oscitanter in illius sermones incurunt,*

*iis nonnunquam minus sibi consentanea ac coherencia dicere videtur. Qui vero operam adhibent, & sobria atq; exprorecta mente in illos incumbant, ex ordine omnia ac rei veritate pronuntiata judicant, Heres. LXIV, p. 552. Frustra igitur sunt Angelici, qui, cum à Rege ipso invitentur, Matt. XI, 28. satellites demum adeunt & ante fores illorum commorantur: Frustra sunt etiam, qui, cum Regis ipsius verbum appensis insuper sigillis teneant, ministros denovo consulunt, veluti nullam promissionibus fidem habituri. Atque hæc Matæologia illa est, quam Paulus vocat, τὴν μαλαρότητα τῆς νοῦς. Eph. IV, 17. & de qua Christus ait: frustra me colunt docentes doctrinas præcepta hominum, nam omisso præcepto DEI tenent constitutionem hominum &c. Marc. VII, 7. 8.*

§. XXV. Aceo quidem vanior hæc ratio colendi est, quod (δ) carnali, magniqve supercilii scientiâ innititur, suosqve cultores reddit Φυσιμένους ὑπὸ τῆς νοῦς τῆς σαρκός. Jam quod pulcerrimum aliàs bonum censetur Φρόνημα τῆς σαρκός, i. e. prudentia hujus seculi Luc. XVI, 8. & sapientia terrena Jac. III, 15. adeo tamen adversatur DEO, ut ipsa inimicitia sit Rom. VIII, v. 7. imo mors, v. 6. Deniqve rejicitur Angelicorum superstitio (ε) quod Christum Ecclesiæ caput non retinet, ἡ κεφαλὴ τὴν κεφαλὴν v. 19. ex quo totum corpus per commissuras & compagines conjunctum & compactum crescit augmento DEI. Caput



put Ecclesiæ non Petrus sed Christus est, *Eph. I, 22.* Ecclesia ejusdem corpus *ib. v. 23.* commissura autem, qua coagmentatur hoc corpus, unitas fidei est *Eph. IV, 4. 5.* augmentum est à capite Christo per fidem *in quò radices habemus fixas, ut illo superstructi confirmemur per fidem, sicut edocti sumus, exuberantes in eâ, cum gratiarum actione Col. II, 7.* Si quis igitur sit, qui coram Angelis se abjiciat ac prosternat; hic capitis gloriam iis tribuit, nec *Christum ceu verum caput obtinet.* Rursum, si quis aliam confingat doctrinam fidei, quam quâ Ecclesia hætenus cohæret, idem quoque labefactat atque convellit corpus Christi, & articulos fidei firmissimis invicem commissuris connexos dissolvit turpiter ac destruit.

§. XXVI. Ita Colossensium juxta & Laodicenorum Ecclesias sibi curæ esse voluit Apostolus: quarum faciem si hodie intuearis, multo illa miserrima est, atque à veteri illo splendore longissime recedit. Testem *αὐτόπτην* producimus Thomam Smith, Auctorem Anglum, qui confecto in has regiones itinere sic refert: *Colossas à Turcis Chonos dictas cum ingrederemur: ab iisdem latronibus quàm maximè periclitabamur, nec minus à civibus, qui atroci in Christianos occidentales odio flagrabant: apud quos reperiuntur paucè gente Græcorum, qui inter tot opprobria ac*

calamitates, quibus obnoxii sunt, adhuc fidem Christianam profitentur: nulla apud ipsos est Ecclesia, nullus sacerdos, qui Liturgica prælegat, & Sacramentum Eucharistiae celebret. Græca Lingua penitus obliti miserissimi Colossenses, Turcicè in familiaris sermone loquuntur. Laodicea, hodie à Turcis dicta Esrei Hisar, i. e. vetus castrum, urbs Lydia, super sex septemque Colles posita est, qui circulum cuius Perimeter ingens terra spatium occupat, quasi conficere videntur, à nemine jam habitatur, nisi quod hic noctu Lupi vulpes & alopecida prædam investigatum eant. Quam misera & deserta jacet Laodicea, quæ tot palatiis olim tumebat! sola enim hodie supersunt rudera, quæ tamen eam testantur celeberrimæ urbis, uti olim tempore Plinii, nomen meruisse, in Notitia de Septem Asia Ecclesiis p. 26. 27. seq. Cum igitur ex Oriente in Occidentales hæc oras purior illa Christi Ecclesia traducta sit: mirari satis nequeas mali Genii fraudes, quibus Angelicorum insimul superstitio invecata est, quæ exortæ Evangelii luci ceu pestilens quoddam sidus nunc imminet, clademque & exitiabile damnum minitatur.

§. XXVII. Nostrum est exemplo Pauli docere Ecclesias nostras atque, ne superstitioso quodam cultu palmam

mam sibi intercipi patiantur, sedulo easdem hortari.  
Errant proinde qui Angelos adorant & invocant; Nam  
huiusmodi *Ἐρησικία Ἀγγέλων* ad καὶ αὐραβεύειν pal-  
mamque salutis intervertendam satis est.

§. XXVIII. Necquicquam sibi rectius consulunt,  
qui distinctione inter λατρείαν & δουλίαν conficta, po-  
sterius tantum colendi genus Angelis vendicant. Om-  
nis enim cultus, qui plusquam civilis, qualem *Ἐρη-  
σικία* significat, contra Apostolum est, & Idololatricus.  
Johannem ad Genua provolutum Angelus graviter in-  
crepat: *cave faxis, sum enim σὺν δούλῳ*, *conservus*  
*tuis. Apoc. XXII, 9.* Opportune Angelus est usus voce  
*σὺν δούλῳ*, ut dulum respueret: nam cur dulia ei de-  
ferretur qui ipse sit δούλῳ?

§. XXIX. Sed videtur exilis & frigidus esse cultus  
Angelorum præ honore qui defertur Sanctis. Quod  
si quis integrum Missale evolvat, Missas inveniet in ho-  
norem Sanctorum ultra ducentas: at duas tantum in  
honorem Angelorum: *Michaelis* nempe & *Angeli*  
*Custodis. V. Missale Romanum Antwerpenae 1627.*  
*editum, p. 456. & p. 106.* at si Angelorum cultura non  
admittit Apostolus, quò tandem numerò habendus est  
cultus Sanctorum?

§. XXX. Subtilius verò, sed eo non levius errant,  
qui Angelicis revelationibus aurem præbent, & in ter-  
ram prostrati, oblatas imagines cælestesque ideas co-  
lunt. Namque hæc illa *Ταπεινωφροσύνη τῶν Ἀγγέ-  
λων*

λων est, Apostolo damnata. Sane cum adorari se no-  
lit Angelus bonus, oportet esse Angelum infernalem,  
quem colunt; is enim prostrato corpore honorem hunc  
expetit: *me adora, Matt. IV, 9.*

§. XXXI. Istud autem multo absurdus est, quod,  
cum expulsi sensibus suis & mente capti fuerint; verbum  
ad nos referant, & pro divinò venditent; quod tamen  
nec sanam mentem redoleat, nec ipsam cum sacris lite-  
ris conformitatem: Sed minus id miror, quia ἐμβα-  
τεύουσιν, ἢ μὴ ἐωράνασι καὶ μὴ ἠύξασιν. Pone et-  
iam audivisse illos & vidisse: *Si verò Angelus è caelo  
prædicaverit Evangelium, præter id, quod prædi-  
catum est, anathema sit, Gal. I, 8.*

§. XXXII. Tum & hoc ipso se fallunt, quod  
ad Angelicam perfectionem adspirant in hac vita atque  
ab actualibus peccatis immunes se prædicant; Nam  
iidem qui id præ se ferunt, *fastuosi sunt*, (quod actuale  
peccatum) & *inflati à sensu carnis suæ*, cui longe plus  
tribuunt, quam Apostolus: *Novi quod non habitet  
in me, i. e. in carne mea bonum; nam velle adest mi-  
hi, at ut faciam bonum non reperio Rom. VII, 18. 19.  
seq. Gal. V, 17. Quanam igitur fronte puros appel-  
lare se ipsos singulari illa professione possunt, cum o-  
mnis Christianæ vitæ instituendæ ratio ab omni de-  
lictorum genere cavendum esse, dicitur? igitur  
Christianæ doctrinæ accuratam illi formam non no-  
runt.* Epiphanius de Catharis *Hæc. LIX. p. 499.*

§. XXXIII.

§. XXXIII. Simili, si non eodem se errore implicent, qui impletionem legis renatis possibilem esse contendunt. Nam inani huic impletioni integro capite opponitur Christus, cum tota plenitudine Deitatis v. 9. ut sciamus, in illo nos esse completos v. 10. Quod impossibile erat legi quatenus infirmabatur per carnem, hoc Deus prestitit per mortem filii sui Rom. VIII, 3. Jam si renati sentire deberent, se acceptos fore propter impletionem legis, quando esset conscientia certa, se placere Deo, cum nunquam legi satisfaciamus? Ideo semper ad promissionem recurrendum, hac sustentanda est infirmitas nostra & statuendum nos propter Christum justos reputari, qui sedet ad dextram Patris & perpetuo interpellat pro nobis. Hunc Pontificem contumelia afficit, si quis sentit se jam justum & acceptum esse propter propriam impletionem legis, non propter illius promissionem. Apologia A. C. p. 90.

§. XXXIV. Nec melius sapiunt, qui majorem sibi præ aliis spiritum datum jactitant: iidem enim sunt, qui h. t. *Φουσίμενοι* inflati appellantur; Sancti autem Spiritus fructus est lenitas Gal. V, 23. Membrum carnis vitiò & tumore inflatum capiti toti que corpori exitiosum est.

§. XXXV. Præclare docet Theologus Argentoratis: *Hominum pia intentio, sine fundamento*

E

man-

mandati, Scriptura & voluntatis divina nihil aliud est quam temerarius fastus & carnalis irratio. Sunt enim *καταπαρευόντες* h. t. Comment. in h. l. p. 129. cui proinde planè adstipulamur.

§. XXXVI. Denique nobis dictum putamus illud Prophetæ: Ne vos seducant Propheta vestri qui sunt in mediò vestrum, & divinatores vestri; & ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos scmmiatis; quia falso ipsi prophetant vobis in nomine meo, & non misi eos, dicit Dominus. Jer.

XXIX. v. 8. 9. 10.

## SOLI DEI GLORIA.



05 A 1582

ULB Halle 3  
003 779 688




VOM 661









*Q. D. B.*  
DISPUTATIO INAUGU  
*De*  
PALMA  
AB ANGELICIS NON  
INTERVERTENDA,

*ex Col. 11, 18. Was dabij assist vid  
Quam J. 125. c. m. io B. 4.*

PRÆSIDE  
JO. GEORGIO NEU-  
MANNO,

SS. THEOL. D. PROF. PUBL. ET ACAD.  
BIBLIOTHECARIO,  
PRO-LICENTIA

*Summos in Theologia Honores consequendi*  
IN ACADEMIA VVITTENBERGENSI

*D. XV. Octobris A. cta 1sc XCII.*

defendet

M. JOACHIMUS WEICKHMANN,  
ECCLESIAE SCHMIDEBERGENSIS PASTOR ET EPHORÆ  
KEMBERGENSIS ADJUNCTUS.

WITTENBERGAE.